

## MARULLO

## CARMINA (235 vers)

## AD FRANCISCUM DIANAM VIRUM ELOQUENTISSIMUM, MABILIIUS POETA

- C\_1 v.1 Nescio utrum fuerit mihi gratius an tuus in me,  
 2 qui mihi non parvus esse videtur amor,  
 3 an tua, quae Clarii redolere poemata vatis,  
 4 Musa, nec Orphea cedere visa lyrae.  
 5 Certe utrumque facit meliores inter amicos  
 6 ut, Francisce, novum me numerare queas.
- C\_2 v.1 Cum mecum, Princeps, tua, splendide, gesta revolve,  
 2 obstupet et canere te mea musa timet ;  
 3 quum rursus video quam miti suscipis ore  
 4 qui te saepe adeunt, nostra Thalia capit,  
 5 non tamen unde petam primordia nosco, tot armis,  
 6 tot tibi divitiae, dicta vel acta toga.
- C\_3 v.1 Jure tuas aedes quicumque, Federice, cernit  
 2 obstupet et dicit "Non domus ista, sed urbs" ;  
 3 tot loca despectant Manes, tot in aethera surgunt,  
 4 regia quae ditis possit et esse Jovis.
- C\_4 v.1 Cum tibi donasset sua munera Pallas, "Alumnos  
 2 commendo, "dixit, "dux, tibi, clare, meos".  
 3 Hi tua dum turmas hostiles ipse domabis  
 4 invictoque fremes robore, gesta canent.  
 5 Pax erit : hi referent quanto regia omnia jure,  
 6 deerit et haec nullo tempore turba tibi.  
 7 O princeps totus dignissime quem colat orbis,  
 8 non tu frustrari passus es ora deae  
 9 votaue doctorum ; nam tempestate quis ista  
 10 auxilia ingeniis uberiora tulit ?  
 11 Quis te condigno celebrabit carmine vates ?  
 12 Baptista, anguigerae gloria magna domus,  
 13 nulla tui sexus te matronalibus aequat  
 14 laudibus et pauci Palladis arte viri.  
 15 Quod solum deerat, fuerat quo digna marito  
 16 jungeris et numquam tam fuit aequa Venus,  
 17 felix quae vobis adluxit stella juvare ;  
 18 omnibus est nisa viribus illa duae

- 19 ut foret una domus, quam gens extolleret omnis  
20 linguaque quam posset nulla probare satis.
- C\_5 v.1 Quis te dum pugnans, invicte Federice, Martem  
2 non putet aut cui Mars cedere possit atrox ?  
3 Idem depositis mirum est quam mitis es armis,  
4 nec facile est nosci Marte togane prior.
- C\_6 v.1 O me felicem, tua si, celeberrime Princeps,  
2 carmine gesta queam perpetuare meo,  
3 nomen et a vili nostrum seponere turba  
4 cumque tua laudem jungere laude meam :  
5 non ego maluerim vigili servata dracone  
6 vellera nec Croesi divitiasve Midae.
- C\_7 v.1 Omnia cum venti damnosaque grando pararent  
2 vertere, nube polos imbre tegente solum,  
3 pro segete alma Ceres pro vite gemebat Iacchus  
4 proque sua tristis arbore Pallas erat,  
5 te, princeps, populi plusquam tua damna movebant  
6 quaerebasque pia flectere voce Jovem.  
7 Quis credat quod non concesserat et tribus et diis,  
8 erubuit meritis ille negare tuis,  
9 proque datis inopum turbae cultuque sacrorum  
10 expulsa rediit candida nocte dies ?  
11 Nunc aliquis dubitet quam sit, te principe, felix  
12 quum tua, dux, pietas auferat arma Jovi ?
- C\_8 v.1 Ingemit ad Musas sibi Mutius otia deesse  
2 libera, quum lucem te sciat esse ducum.  
3 Novit enim quantum, princeps celeberrime, laudis  
4 si tua cantarit gesta, parare queat.  
5 Externis solitus segnique favere popello  
6 virtutum cupidus, quaeso, tuisque fave.  
7 Tu reserare vales Heliconam et claudere vati,  
8 fac, precor, exstingui possit ut ampla sitis  
9 vel quae amat studium vel quae te extollere quaerit :  
10 ille tua, Princeps inclite, dignus ope.
- C\_9 v.1 Cum citharae vocisque sono peritura triumphos  
2 indigna est, Princeps, laus celebrare tuos,  
3 vilia sic Codri et Thersite facta canantur :  
4 at tua perpetuum promeruerit decus.
- C\_10 v.1 Ut mortale genus post nubila longa corusci  
2 reddita laetatur cum videt ora dei,

3 sic gaudent, o lux aeterna, Federice, gentis  
4 Montefeltrae, populi, te redeunte, tui.

- C\_11 v.1 Montefeltri spectas dum Principis arma, viator,  
2 ne tibi sit grave si tempora parva teris,  
3 saepius e caelo, solum haec ut digna videntur,  
4 descendit Pallas militiaeque deus :  
5 ferte procul gressus, veterum vexilla Quiritum,  
6 Montefeltri volucrum me juvat esse ducis ;  
7 Romam saepe furor civilis in arma coegit,  
8 bella meus Princeps non nisi justa movet.
- C\_12 v.1 Mille duces stravit tua dextra, Federice ; claustra  
2 cur indignetur tam spatiosa ferae ?  
3 Crede mihi, dominum norunt servireque gaudent,  
4 nullaque, si liceat, linquere vincla velit.
- C\_13 v.1 Venator, prohibe nimium saevire Molossos  
2 siqua tibi domino cura placere meo ;  
3 non minus ille solet quam vincere parcere victis :  
4 non solum hoc homines, sed didicere ferae.
- C\_14 v.1 Nomina restituit Princeps Montefeltrius ista  
2 et solitos vicit vincere cuncta dies :  
3 cui pariter debent homines superique, carere  
4 officio manes noluit ille suo.
- C\_15 v.1 Tantum nunc potuit prodesse Federicus, olim  
2 quantum vix potuit Roma nocere mihi ;  
3 scandere conantem caelum fregere Quirites,  
4 atria dux ex me condidit aequa polo.
- C\_16 v.1 Felicem poscunt tua gesta, Federice, musam ;  
2 at mea laeta parum nec mihi causa levis,  
3 scilicet in prelio non est hic sancta poesis  
4 fratreque cum solo carmina solus amas.  
5 Non tonsor tecum mutarit non cocus artem  
6 fortia cantasti qui Phrygis arma pii ;  
7 at verum lectorque frequens et gloria gignit,  
8 nam petitur vati nil nisi fama sacro.  
9 Tantale, sicca minus tolerabilis est tibi certe,  
10 in medio quoniam mergeris amne, sitis,  
11 sic ego plus crucior quia quas vicina celebrant  
12 tot loca, musarum hic nullus amore calet  
13 nec tibi causa fuit rigidi tam justa doloris,  
14 neglegeret versus cum Geta, Naso, tuos ;

15 nam Scythiacos nescit fines habitare Minerva  
 16 nosceret <ut> doctos disceret atque viros ?  
 17 Ah ! quotiens calamus temptanti scribere, Princeps,  
 18 decidit atque animus "Quis leget ista", refert.  
 19 Coge, inquit, mentem ; nihil est laudabile prorsus  
 20 mente quod invita nostra Thalia facit.  
 21 Des igitur, quaeso, veniam, celeberrime Princeps,  
 22 si te non adeunt carmina saepe mea.  
 23 Atque ubi lectores multi tua gesta tuumque  
 24 saepe probent vatem, me, precor, ire sinas.  
 25 Perlongo numerabimus ordine laudes rerum  
 26 quas pax, quas, Princeps, bella dedere tibi.  
 27 O ego tunc meritis aequare poemata possim,  
 28 Aonidum cedet docta caterva mihi.  
 29 Haec quis enim merito, sive haec seu saecula prisca  
 30 inspicit, huic palmis aequiperandus erit ?  
 31 Vicit Ariminei turmas ducis atque Sabellos  
 32 et Soram et Marsos nec Coleona minus  
 33 et Picinine, tuas, Malatesta magne, cohortes  
 34 et Phanum et cui non nomen inane fuit.  
 35 Idem ut pareret rationibus, ira coegit  
 36 deque omni vitio clara tropaea tulit.  
 37 Quo feror ? Haec alibi longo celebranda labore,  
 38 si superis, si, dux, hoc tibi, summe, placet.

C\_17 v.1 Quod tua finitimos senserunt pila rebelles,  
 2 huc ades, armigeri gloria magna chori,  
 3 hoc quia praepetibus semper, dux inclite, pennis  
 4 indomiti Martis fervidus arma geris.  
 5 Excelsas habeat quamquam leo pectore vires,  
 6 te sine quod possit non potuisse putat ;  
 7 hactenus hostiles si quando est passa furores  
 8 non aliunde sibi Tuscia sentit opem.  
 9 Pelle igitur nostri populi, Federice, timorem,  
 10 hostis et ad muros pande per arcta vias ;  
 11 te tua palma manet, qualem Carthagine victa  
 12 terque rebellanti rettulit ille suam,  
 13 aut qualem forti peperit fera Creta Metello  
 14 aut qualem Odrysio Calvus ab orbe tulit.  
 15 Eia, age, rumpe vias ad moenia : perfida durum  
 16 colla genus primo sub juga Marte dabit,  
 17 nec te detineat quod rustica tecta superbe  
 18 insidiant tetrico non habitanda jugo  
 19 cum Bellona tuas acies furibunda per hostes  
 20 explicat alta viris fortibus una facis  
 21 ense Fluentinis haec sola repagula solves  
 22 invia quae nostri terga leonis habent.  
 23 Haec tibi ab Albanis, credo, deducta secunda  
 24 plebs erit : intrepidus mox, rogo, tolle moras.

C\_18 v.1 Mars ades huc, canimus juvenum praeconia, fulmen  
 2 hoc tibi belligerum Monfeltrius educat heros :  
 3 videtis : hos hastis concurrere nullus alumnos  
 4 abneget, esse tuos, dux invictissime, dices.

5 Sed veniant ausis meliores fortibus anni  
6 his illum velit astrifera si sede potiri.  
7 Militibus credam depellere posse tonantem  
8 tu licet armipotens deus hostes et tua surgat  
9 quanta in terrigenas fuerat Bellona gigantes,  
10 sed quod formides, divum fortissime, non est ;  
11 nam genitum Anchisa pietate Federicus aequat  
12 jamque dies aderat quae certatoribus ampla  
13 praemia ponebat. Stimulat ferus omnia Mavors  
14 pectora : nec pretio decoris, sed amore moventur.  
15 Arma ducem poscunt et equos sine viribus anni  
16 et homo tam puer est velit hac qui laude carere.  
17 Quis tibi tunc animus quum tot fervere tenella  
18 armorum studio, celeberrime, pectora, princeps,  
19 tanta exspectares probitatis signa futurae  
20 sicut ad Eleum certamen iturus equorum  
21 majorumque petit jubas atque ornat habenis  
22 has tantas ? Robur quis nondum praebuit aetas  
23 exsultant cupiuntque pari sudare labore.  
24 Ille, anni spondent cui praemia multa futuri,  
25 laetatur plausuque animos reprimitque probatque  
26 dux, ita sufficiunt quis nondum roborata, mulcet  
27 corda novumque sequens certamen spondet in aevum.  
28 Ast alii properant terso vincere  
29 corpora, stant nitido intextae super arma lacernae  
30 argento et gemina Phoebos vincere luce  
31 nituntur, radios phaleris auroque corusci.  
32 Stare loco nequeunt superantque repagula saltu  
33 quadrupedes : equitatum animos auxisse putares.  
34 Hic tamen ante alio radiantibus emicat armis,  
35 magnanimo similis virtute et imagine patri,  
36 Castoraque excellens equitandi Antonius arte ;  
37 huic sonipes nunc hoc gyro nunc flectitur illo  
38 totaque vix lato via sufficit aequore soli.  
39 Quis mihi nunc superum memoret quot membra quot artus  
40 illa sequensque dies et tertia frangere vidit ?  
41 Imprimis quaecumque suo spoliatur honore  
42 cassis forte sibi gemitus haec damna tulerunt.  
43 Gentiles, galeam decorate Cupidine pulchro,  
44 pulchrior ipse tamen, verus putande Diones  
45 filius, accipias pharetram si nudus et alas.  
46 Continuo tellus pedibus concussa ferarum  
47 ingemit hastarumque fragoribus intonat aether  
48 detegit hic umeros : galeam ille recludit et altus  
49 ad caelum chalibem perfracto decutit ore.  
50 Frons aliis alius tepido gena sparsa cruore,  
51 hic rapido resupinus equo atque oblitus habenae  
52 fertur et attonitus sese concurrere norret,  
53 ille pedes effert et tangit vertice clunes  
54 quadrupedis rueretque frequens ni turba teneret.  
55 Jam thorax crebro loricaque deficit ictu  
56 jam capitis tegmen juncturis undique fractis  
57 lassatur sociosque vident majore fenestra.  
58 Fit modus optato vicina nocte labori,  
59 exuiturque gravi formosus casside vultus.  
60 Tantum egisse genas leves miramur et illa  
61 credere viderunt quo lumina nostra nequimus,  
62 hic tua praecipue cornix animose probasti

63       robora, jure dare cui praemia nemo negavit.

C\_19    v.1     Ille ego qui sacris conabar nomen ad astra  
          2       tollere carminibus, dux Federice, tuum  
          3     jamque diu cesso Musarum oblitus et artis,  
          4       perpetua decoris spes erat unde mihi,  
          5     ne patere ulterius jacturam, splendide Princeps,  
          6       communem tacitam promoveasque lyram.  
          7     Ingenium frustra tribuit natura poetis  
          8       si ratio, princeps, qua stimuletur, abest.  
          9     Frustra etiam heroas fecerunt astra potentes  
         10       si mansura diu gloria neglegitur.